

FRID. — Finis nondum?

CAL. — Galerus ne transvorsus agatur... Peniculo detergas femoralia; nonne vides quam sordida sunt? (*Quum paulatim quae dixit est exequutus, filium eorum speculo reducit*). Ecquid nunc tibi?

FRID. — Magis ridiculum caput mihi videor quam antea. Aequae enim ego odi subtilitatem atque angues. Quando hominem video ita finitum, ut ab eius vestibus absint omnino rugae ac sinus, dico statim: «Obtusa prorsus animi acies misero huic homini est!» Meo iudicio, animi imbecillitas iuxta accusationis rationem crescit.

CAL. — Si igitur ad huiusmodi praecincta nos revocaverimus, tu profecto sapientissimus omnium quos terra sustinet iudicandus eris: nullus enim homo inconditus magis inveniri poterit, quam tu.

FRID. — Me quidem lex exceptit...

CAL. — Dic unum saltem dictum de dictis melioribus!

FRID. — Neque de melioribus nunc, neque de peioribus: manebimus enim domi an prodibimus?

CAL. — Eamus igitur. — Ehus, Stasime!

STASIMUS (*accurrens*). — Exspecto quid velis, domine mi.

CAL. — Ex aedibus nos edimus foras. STA. — Sit cum diis benevolis.

CAL. (*ad Fridianum conversus*). — Ohe, Fridiane, certiore te reddidisti pilentum iam ad postes esse?

FRID. — Ecquod pilentum?

CAL. — Numne conduxisti? Vis igitur ut pedibus eam turbida hac tempestate?

FRID. — De mente omnino mihi decidit. Qui vero non mente utitur, crura adigat. Evolo...

CAL. — Ubi illud quaeras, aut quo nunc intendas?

FRID. — Pax! Videbis me, tamquam fulminis ictum, ire ac redire cum pilento. (*Praecepis egreditur*).

CAL. — Umbellam sume; madefies etenim! (*Sequitur eum usque ad ostium*). Iis it gradibus, ut nemo possit consequi tam strenue!... Ah, negotiorum huiusmodi odium tandem coepi! Nova semper oriuntur ex negligentissimo hoc puer! Quocum perpetuo acta res agitur, lapidemque verberas ac perdis manum!

STA. — Credendum est, si pluat, sese in aliquem locum recepturum.

CAL. — Vere is homo est, qui rem suam diligenter tutetur!... (*Ad speculum appropinquat*). Quaeso, inspice me, si omnia in cultu meo sapienter disposita sint et consilio bono. Ita enim Fridianus me sollicitavit, ut speculum consulere prorsus nequierim. Pudet autem me ludos fieri cano capite atque alba barba.

STA. — Nihil supra. Forma es luculenta ita non ut olim, sed uti nunc sane bona.

CAL. — Illudis me...

STA. — Vera dico: iuvenis videris.

CAL. — Proh! videor; non sum amplius! Deturbavit ventus tectum et tegulas... Interim filius ille meus...

STA. — Absurde facis qui angas te animi. Vehicularum enim statio proxima est: actutum reveniet. Quinimo, ni fallor, heic iam est cum pilento. Rotarum stridorem nonne audis?

FRIDIANUS. — (*Revertitur luto profusus*). Ex cursura anhelitum etiam duco!

CAL. — O dii boni! Quidnam fecisti?

STA. — (*Praesagiebat mihi animus!*)

FRID. — Feci faciendum mihi. Unus ipse poteram sub hac pluvia conducticium pilentum invenire.

CAL. — Te in hanc lutu congeriem redactum esse!

(*Ad proximum numerum*). I. F.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (Via Umbria, 27).

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4½; sh. 10; coron. 12) ante solverendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~

Sociis et Lectoribus Commentarii nostri humanissimis Natalicios Domini dies et novum annum proxime advenientes bonos, faustos, felices ex animo ominamur, utque imprimis liceat tranquilla tandem ea pace frui, quam boni omnes in Christo enixe appetunt.

Quo studio quibusve rationibus ad perficienda per annum MCMXV consilia et proposita nostra nos accingamus, spatio hodie deficiente, in proximo numero late explanabimus; id unum iam nunc affirmare iuverit, nos summopere enisuros ut hunc Almae Romae commentarium plurimorum favore dignum in dies persequamur; quem quidem favorem non tam nobis, quam gravissimo, quem aggressi sumus, inceptui iterum iterumque invocamus.

Qui igitur nomen suum societati nostrae dederunt, non solum officia sua diligenter servare velint, sed viros alios ad nos, pro sua humanitate, attrahere satagent; qui autem, accepto laboris nostri specimine, ancipites adhuc manserint, haesitationem interrumpant suam-

que mittant subnotationem. Omnes denique qui nondum consociationis premium solverunt, debitum suum in mentem sibi revocent, cuius satisfactio vitalis res nostra est.

Non inopportunum denique erit repetere, premium subnotationis a primo Almae Romae fasciculo, qui Idibus Maiis MCMXIV prodiit, ad expletum annum MCMXV ita per exceptionem fuisse imminutum, ut sit in Italia libell. 14; ubique extra Italiam libell. 17; dummodo tamen recto tramite mittatur ad Josephum Fornari doctorem, Roma - Via del Governo Vecchio, 96.

A. R.

Quum sit nobis confirmatum, cursus publicos, in regionibus etiam ubi adhuc in Europa geritur bellum, optime fuisse restitutos, foliaque typis impressa iam nunc ex Italiae finibus quaquaversus iterum dirigi posse, numerum hunc Almae Romae ad socios quoque illos mittimus, quorum in cautelam superiores omnes fasciculos a mense Augusto diligenter custodivimus. Velint hi, pro humanitate sua et ad quietem nostram, de acceptione nos certiores facere.

De arbitratu inter nationes instituendo

I.

Nationes omnes nonnullis inter se officiis, nonnullaque necessitudine colligandas esse patet, nisi velis, quod absurdum prorsus est, barbariem ferocitatemque mutuam dici et haberi quasi connaturalem. Nationes ipsae, non secus ac individui homines, pace seu tranquillitate ordinis fruendi mutuo ius habent, immo frui ex ipsamet natura iubentur.

Haud tamen infreuerter conflictus oriuntur, mox iusti ad vindicanda iura propria, mox iniusti ad invadenda iura aliorum. Conflictus iniustos provocant plerumque, teste Augustino, « nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus et implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si quae sunt similia, haec sunt quae in bellis iure culpantur ». (1) Quibus obsistendius competere invasis impugnatisque liquet. Cur autem in huiusmodi conflictibus ad arma bellaque recurratur, ea assignatur ratio, quod principes et nationes in iure suo superiorem non agnoscunt, dum, contra, privata persona « potest ius suum in iudicio superioris prosequi ». (2)

Hisce conflictibus atque bellis nihil, quod oculis nostris videmus, quodque testatur historia, atrocis, nihil damnosius occurrere generi humano potest.

Eximius ille theologus, cui nomen Dominicus Soto, in hanc sententiam Pauli Apostoli, *ad Rom. XII*: « Cum omnibus hominibus pacem habentes », ita commentatur: « Neque vero privamur per

hanc sententiam Pauli iure defendendos. Quamquam salutare consilium sit, idque christianis cumprimis, ut si quis voluerit nobiscum contendere in iudicio, et tanicam nostram tollere, dimittamus ei et pallium, ad redimendum tempus; utque hoc quam maxime ad declinanda propellendaque publica bella, quae, ut nos longa experientia malo nostro docuerunt, neque geri, neque patrari possunt sine illis incommodis ac detrimenis, cladibus ac pestibus, quibus in Christianorum perniciem esse nequeunt acerbiora. Nam, ut agrorum populationes, compilatasque villas, incendia urbium, adulteria, stupra, innocentium strages, filios patribus virisque matres orbatas, eversas aras, sacra profanaque omnia diruta, aliaque id genus violata iura sileamus, quae fari horret animus, nullum post se bellum, ubi gestum est, virtutis pietatisve, aut Christianae religionis vestigium relinquit; sed silvescere illic viideas efferarie protinus humanos animos ». Indeque colligit: « Ut non in eorum opinionem inclino, qui nullatenus fas esse autumant ut bellis reges se suaque iura defendant, illatasque propulsant iniurias, tamen non dubito quin sit prius summa adhibenda Christiano principi cura et solertia explorandi examinandique an iustum habeat causam suscipiendo bellum, tantum abest ut temere debeat inferre ».

Haud secus Scriptura: « Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem ». (1) Immo et ipsi quandoque gentiles, inter quos Xenophon: « Sapientis est a bello abstinere, etiamsi graves belli causas habeat » (2); et Terentius: « Omnia prius experiri verbis quam armis sapientem decet ».

(1) *Cont. Faust. xxii.*

(2) *Sum. S. Thomas, 22^{ae} q. 40, 1.*

(1) *Deut. x.*

(2) *De bell. graec., vi.*

Ita demum Ecclesia perpetuo, auctoris sui, qui Princeps pacis nuncupari voluit, vestigia premens, perpetuo et ubique pacem fovere, instaurare nisa est, mox tempora bellandi restringens, mox paciarios, quos vocant, et legatos deputans, mox poenas pro iure indicens, et sic deinceps.

Neque tamen satis. Nonnullis enim visum est imminuendam saltem, nisi tollendam, fore bellorum frequentiam, si inter civiles nationes Arbitratus Tribunal institueretur. Etenim « in rebus humanis aliqui propria sponte possunt se subiicere aliorum iudicio, quamvis non sint eis superiores, sicut patet in iis qui compromittunt in aliquos arbitros » (1), ita ut nempe compromittentes sibi superiorem instituant, cui fas erit de conflictu audire et cognoscere, sententiamque dicere, cui stabunt litigantes. Arbiter huiusmodi sane potest esse, ut patet, vel una persona, vel plurimum personarum coetus.

Quod non infreuerter anteactis aetatibus admissum est in conflictibus singularibus: id vero frequentius fieri, immo et perpetuo fieri, nonnulli velint, atque inde institui inter nationes civiles Tribunal unum, idemque commune et perpetuum, ad quod deferenda essent litigia politica, quae in posterum oriri possent.

Poteritne id fieri et ad effectum perduci?

Multi gravesque viri opinati sunt atque hodieum fieri posse opinantur.

Inter enim res humanas de quibus « aliqui propria sponte possunt se subiicere aliorum iudicio, quamvis non sint eis superiores atque compromittunt in aliquos arbitros », sane computandi sunt illi conflictus publici, in quibus principes superiores non habent,

(1) *S. Thomas, Sum. 22^{ae} q. 67, a. 1, 2^m.*

quibus coram possint iura propria prosequi.

Hinc reipsa, et quidem primus, Henricus IV, Gallorum rex, post multa haud infelicia bella, sed tamen eorumdem horrore percusus, huiusmodi tribunal, consentiente Elizabetha Angliae Regina, excogitavit, circa annum MDXCV; quod tamen immatura morte praeventus, perficere nequivit.

Postmodum, anno scilicet MDCCXV, gallicus sacerdos, cui agnomen « l'Abbé de Saint-Pierre », opere tribus constanti voluminibus, sub hoc titulo: *Projet de la paix perpétuelle*, eamdem sententiam propugnavit, ita ut egregias laudes Molinarii atque Riccardi Cobden sibi demeruerit.

Anno rursus MDCCCLVI, in conventu nationum Europaearum, consilium idem valde commendatum fuit.

Recentius, Russiarum Imperator Nicolaus II eamdem institutionem valde propugnavit, immo et ad proxim perducere tentavit, non obstantibus nonnullorum pervicacium in contrarium impugnationibus. Summus autem Pontifex Leo XIII, cui nihil grandius non arrisit, hoc imperatoris intentum die x Februarii MCCCCC per Purpuratum Patrem Marianum Rampolla a Secretis Status in epistola ad Comitem Mouravief data, tutatus est arbitratum ut pacis instrumentum magis opportunum.

Pius X praeterea, die xxv mens. Maii huius anni MCMXIV maxime laudavit viros illos, qui insimul media inquirunt finem bellis atrocibus imponendi.

Recentissime denique, die nempe i mens. superioris Novembris, Benedictus XV (quem Deus diu sospitet!) in primis suis *Encyclicis litteris*, postquam belli hodierni flagella eximia eloquentia defleverit, hisce prosequutus est verbis: « Atque utinam, Dei miserentis beneficio, fiat ut, quem Angeli in ortu

divini hominum Redemptoris faustum cecinere nuntium, idem, ineuntibus Nobis vicarium ipsius munus, celeriter insonet: *In terra pax hominibus bonae voluntatis.* Audiant nos ii, rogamus, quorum in manibus fortuna civitatum sita est. Aliae profecto adsunt viae, rationes aliae, quibus, si qua sunt violata iura, sarciri possunt». Scilicet ad arbitratus institutionem pontifex alludere videtur.

Cur autem huiusmodi institutio sit promovenda atque enixe a Deo imploranda in hoc *Almae Romae* commentario explana naturi mox infra sumus.

I. I. BERTHIER, O. P.



Christus Rex pacificus⁽¹⁾

Rura Bethleimi media silebant nocte, cum mirus canor e sereno labitur caelo, nova cuius auget stella nitorem.

«Omnis exsultet — Superi caneabant — gaudio tellus! ter enim beatae natus est infans Deus, universi Conditor orbis.

«Mitis et clemens, Puer ille terris nunciat pacem, tribuitque largam cuique mortali, bona cui voluntas aptaque donis.

«Pacifer, summi veniam rogavit Iudicis, cuius (pius Obses) iram placat in sontes, cohabetque promptam plectere dextram.

(1) Rex pacificus magnificatus est. (*Offic. Nativ. Dom.*).

(2) Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. (*IOANN. XV, 12*).

(3) Parvulus... natus est nobis... et vocabitur... Princeps pacis. (*Is. IX, 6*).

(4) Iani templum, etiam nunc Romae superstes, tempore pacis, ut omnes norunt,

«Pacifer, lites et acerba bella areet a regnis: propria statuta lege, qua fratrem, vice quisque versa, (2) frater amaret». —

Audiat tellus hodierna Iesum, principem pacis, (3) sapiens ut olim Caesar audivit, celer obserare limina Iani. (4)

Audiant reges populique, cunas dum sacras visunt, solitas parari, vix ubi Christi rediere nati annua festa.

Induant, visa placida Puelli fronte, fratnros fera corda sensus; invidus livor fugiat, simulas exsulet omnis.

Cesset o! tandem furor ille caecus gentis in gentem, fragor et cremati sulphuris, (5) vastas parientis inter fulmina caedes.

Christe, quo nato simul orta pax est, da, quod oramus: Positis fac armis, Pax beat rursus populos, cruenta vulnera passos.

FRANC. X. REUSS, C. SS. R.

De Bartolo a Saxoferrato

IURISCONSULTORUM
IN SAECULO XIV FACILE PRINCIPE

Quidam decimiquarti saeculi iurisconsulti, romanae antiquitatis, elegantiorumque litterarum cognitione destituti, ad iuris interpretationem accesserunt;

claudebatur. Constat autem, ter omnino clausum fuisse; primum, regnante Numa; iterum, post bellum Punicum primum; tertio, post pugnam Actiacam, imperante Augusto, quo quidem tempore natus est Iesus.

(5) Placuit hic litterae R asperum sonum pluries repetere.

idque tanta ingenii laude atque iudicii in innumerabilibus iuris dubitationibus dissolvendis ita versati fuerunt, ut ipsorum opera ad multarum causarum, ne-gociorumque decisiones, non utilis tantum, sed necessaria esset.

Quid enim optimi illi viri in tanta saeculi sui barbarie, ingenio sublimi, indefatigabili diligentia, inexhaustoque labore, nulla neque valetudinis, neque privatae rei ratione habita, aut non accutissime excogitarunt, aut non fusissime explicarunt, aut non diligentissime discusserunt?

Horum autem ipsorum dicit agmen Bartolus a Saxoferrato, cuius immortale nomen maxima cum laude super omnia emicuit: quamquam enim multa inter se discordia dicta sunt, ita ut haud par de eo iudicium posteris ferre visum sit, attamen hodierna die nemo est qui asserere dubitet, Bartolum principem iuris merito appellatum; iurisprudentia enim quae, superiore saeculo exeunte, iam iam ad occasum vertere visa fuerat, non modo illius ope caput extulit, sed in dies mirifice adaucta, summum nunc tandem gloriae fastigium attigit.

Ast verum, illa scientiae pars, quae ius gentium privatum dicitur, tantique modo in scholis habetur, nonne ex Bartoli scriptis ortum ducere censenda est? Id palam innuere videtur praeclarus, aetate nostra, in Gandavensi Athenaeo iuris professor, asseverans primum fuisse Bartolum qui «systematicum» inter statuta discriben induxit; idcirco nomen eius inter excellentium virorum, qui, speculationibus ingenii, iter ceteris pandunt, recensendum (1).

Bartolus enim magis praxeos utilitatem intuens quam historicae solertiae studens, haud minus primigeniae suae

(1) LAURENT F. *Le droit civil international*. — Bruxelles, 1880; vol. I, pag. 301.

integritati iustinianeam legislationem restituere quaerebat, quam *Digesti* et *Codicis* textus cum feudalibus aevi sui institutionibus componere, atque ex illorum comparatione quoddam ius commune expetere, cuius principia loci consuetudinibus aptarentur, decisionibusque inter se dimicantibus, earumque imperitiae aliquando suppeditarent. In hac re nimirum iurisconsultus noster maximus effectus est, adeo ut non inaniter nomen eius idem ac Commentatoris quasi significare vellet.

Profecto, insignis Fridericus Savigny, quo nemo praestantior in historia iuris enarranda, omnimodisque documentis locupletanda, id praesertim evincit, Saxoferratensem iurisconsultum ceteros superasse in iis quae scripta reliquit: quippe quae singulari quadam mentis acie scernantur (1).

Revera, Baldus praecclarus discipulus Bartoli atque aemulus, de magistri sui admirabili *De testibus* tractatu verba faciens, prope stupens, a se percunctari impellitur: «Quis mihi dabit pennas ut columbae? Et in altum volabo».

Iampridem Othofredus plura in romanum ius commenta ediderat, quae modo sane memoratu digna manent. Raynerius de Forolivio quoque et Albericus de Rosciate non minorem assecuti sunt famam; sed illorum nomen pene obmutuit, dummodo hodie quidem cum ex cathedra tum ex foro, cum in publicis tum in privatis disceptationibus, summopere vero in magistratum sententiis, Bartoli vox uti summi iuris magistri usurpatur, eiusque auctoritas opportune vindicatur.

At rem igitur loquebatur Panzirolus aiens «plurimorum consensu principem in explicandis iuribus Bartolum locum

(1) SAVIGNY FR. *Storia del Diritto romano nel M. E.*, vol. II, § LXII.

esse adeptum, ut eo maiorem nemo auctoritatem obtinuerit, unde Romanae Rotaes sententiis, saltem in Caesareis urbis, eum non esse postponendum aliqui adfirment » (1).

Singulari autem admodum insignique argumento, Bartoli fama coaevorum suorum famae longe praestat.

Quisquis enim artis typographicae historiam attente inquirat, eiusque incunabula sedulo investiget, haud difficulter reperiet, Bartoli *Praelectiones in Digestum Vetus et Novum*, primitus praelo commissas Venetiis per Vindelinum de Spira anno 1471, Mantuae per Iacobum de Colonia anno 1473, Mediolani per Pachel anno 1490, ne de pluribus loquar editionibus quae, opera Fratrum Iunta, Venetiis saeculi XVI initio lucem inspexerunt, quaeque numerum decem et amplius tetigerunt.

Si autem intrinsecus consideremus quanam causa Saxoferratensis iurisconsultus primam sibi inter saeculi decimi quarti interpretes famam comparaverit, illam profecto invenimus, methodum insipientes qua non in commentis modo, sed in quibusvis operibus ille usus est, quae tunc in scholis adhibebatur.

Nam si Bartolus cum suis non est omni errore absolvendus, ut a pragmaticorum numero fieri solet, multo minus autem audiendi sunt illi qui, quum raro meliora praestent, aliorum benefacta ob quodlibet peccatum obliscuntur, eoque magis inexcusabiles fiunt, quod consulto animadvertere non videantur, quae Bartolo vitia adscribunt, aetatis potius quam hominis fuisse; nam tunc iurisprudentiae studiosi, relictis Peripateticorum purissimis fontibus, pro his Arabum haud puros rivos exhauebant; quo factum, ut invisa politioribus inge-

niis legum studia aliquando evaserint, quae olim allicere solebant homines ob nativam quamdam orationis puritatem et elegantiam, quam in legibus mirabantur.

Quid minus peripateticum quam inconcinka mens et oratio, quum, teste Cicerone, peripatetica schola in ingenii et orationis regimine cultuque versetur? Attamen « quum in id temporis (ut I. V. Gravinae verbis utar) Bartolus incidisset, in quibus omnis dicendi ratio a scholarum barbarie petebatur, quis tulerit illos, qui, quum prorsus iurisprudentiam ignoraverint, ac tantum eruditioni vacaverint et humanioribus litteris, hoc sese tamen veteris iurisprudentiae vindices profitebantur quod scirent, et ipsi quoque Bartolo eiusque discipulis maledicere? Quales, praeter ceteros, Laurentius Valla et Ludovicus Vives, qui barbariem quidem Bartoli, omnium expositam oculis animadvertisunt, doctrinae vero illius neque recessus introspicere, neque pondus expendere valuerunt, ignari potius quanta Bartolus cum suis commoda iurisprudentiae attulerit, tot solutis quaestionibus quotidie in foro emergentibus, quibus dirimendis veterum scripta minime sufficerent, nisi Bartolus et Bartolini iurisconsulti, ratiocinando et similia colligendo ad quotidianum usum et etiam ad non expressa produxisserint, ita ut reddiderint quodammodo amissa iam, exclusaque e corpore iuris vetera responsa consultorum? » (1).

(Continuabitur).

ANTONIUS ADV. MARTINI.

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et tantum constans in levitate sua est.

OVID., Trist. v, 8.

(1) PANZIROLUS G. *De claris legum interpretibus*, lib. II, pag. 193. — Venetiis 1647.

Q. Horatii Flacci epistola ad Augustum.⁽¹⁾

.... Diram qui contudit hydram
Notaque fatali portenta labore subegit,
Comperit invidiam supremo fine domari.
Urit enim fulgore suo, qui praegravat artes
Infra se positas; extinctus amabitur idem.
Praesenti tibi maturos largimur honores,
Iurandasque tuum per nomen ponimus aras,
Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.

Nunc Horatius, enarratis poetica ratione modoque laboribus Herculi a fato adsignatis, caute memorat hominum invidiam, quae passim domare seu compescere potest, vel ad nihil quoque redigere viros, qui et rebus gestis et ingenio se se ex humo ad honores tollere contendunt. In humiles nunquam aemulatur invidia: neque enim ei honor esset neque utilitas; sed in illos tantummodo, qui mentis virtute ac corporis fortitudine vel litterarum studio prae ceteris emicuerunt. Alexander Manzoni, quem iterum honoris gratia commemoro, quum Napoleonis I fortunam quereretur, quod durius aequo eum adversarii habuissent, eum adpellat « segno d'immensa invidia ». Ac postquam fatalis ille homo supremo fini concessit, universus nimio orbis terrarum ingemuit terrore percussus. Fatalē dicit, quasi esset missus, latinorum more, a fato ac designatus. Quid enim erat fatum? Fortuna omnipotens et ineluctabile illud, cui ipse Iupiter obversari minime poterat. Vos scitis, lectissimi adolescentuli, Euristeum, ut Herculem posset Iunonis ira exactum, nedum fraenare sed perdere, labores aliquot ei proposuisse, quos ipse virtute constantiae et corporis robore maxime perfecit. — Omnia vero elegantiissimi vatis placita, quae passim per

(1) Cfr. num. sup.

veterum ora volitabant, eximia mentis diligentia adnotanda sunt.

Quam opportune hydram, seu serpentem, quem vi contundere Hercules ntitur, *diram* adpellat! Dirus enim, si vim verbi intimius perpendere velis, est non modo inimicus, qui te hostili animo adgreditur, sed qui malo pravoque ingenio omnia damna in adversarios ingerere tentat.

Hic vos monitos velim, qui nunc primum in vita curriculum ingredimini, *ne nimio credatis colori!* Vos virtutem pro viribus colite, vos litterarum studia, ad quae natura atque ingenio conferimini, ardenter incumbite, sed h̄c in terris mercedem praemiumque obtenturos esse frustra sperate. Homines enim, una voce fastidiose cum vase repetunt:

*Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quaerimus invidi;
quae quidem verba perfectissime italicico idiomatico reddimus:*

*Virtù viva sprezziam, lodiamo estinta!
Nos quoque Itali cum Ugo Foscuso canimus: Solo di gloria dispensiera è morte!
Fatalē labore: labor scilicet a fato propositus; hoc est Herculem e medio tollere. Sed ne tenebrisca animorum ars adpareret, sub speciem honoris, ei pro lata fuere nota portenta, seu labores. Iuno enim ob invidiam in Herculem, cuius exitium quaerebat, ipsa labores proposit, quibus utique occubuisset nisi fatum Iovis obstaret: quae quidem deorum voluntas tam diversa atque ferox, magnifice sic ab Ovidio exprimitur:
Saepe premente deo fert deus alter opem.*

Nos vero christiana sapientia instituti, in hac ipsa immensa errorum colluvie, qui ex veterum falsitate proficiuntur, facile arguere possumus, in hominum mente vel a natura insitam

esse aliquam animorum fiduciam in Dei potentia, quae eos e malis eruere possit, si ad eam precibus adsiduis ac votis, quum angustiis oppressi sint, confidenter perfugiant.

(*Ad proximum numerum*).

I. B. FRANCESIA.

COMMUNIA VITAE

Prandii descriptio (1)

Triclinium magnum, stratum, omnique elegantia decorum nobis tandem panditur. Hinc inde florum vasa rosarumque fasciculi, et inter aulaea miro artificio composita; ex parietibus pendent hospitis eiusque familiae imagines rara pulcritudine expressae, quae sua nos praesentia atque comitate salutant, nobisque visu cuncta fausta auspicari videntur.

Uno verbo nihil admodum desideratur, quod vix in ipsis regalibus mensis invenies. Amicus noster se se superasse videtur.

Sed, inter alia, memoratu dignissimum esse dixeris, quod maioris templi civitatis curio, elata voce, hospitis nutu, postquam nos salvere ac sospites esse iussit, cibis iure benedixit omnia bona cunctis adprecatus. Res nova in huiusmodi prandiis, quae tändiu vel apud honestiores in desuetudinem, ob temporum tristitiam, abierit, omnibus adprobatur, bonumque auspicium dicitur.

Convivae sunt triginta circiter; atque ex cunctis civium ordinibus et aetate. Verum mensarum magister omnia praevidit, omniaque sapienter disposuit. Ne hospes, loci sui inscius, hoc illuc quaeritando molestia vagetur, adest qui te comiter nominatim ad sedem adsigna-

tam rectoque conductit. Hic, ad nomen suum graphicè descriptum, super candida mappa suaviter positum quisque sistit, et suis ad latera novis amicis salutatis, ad mensam incumbit. Omnes tot rerum imagine gaudent, et universa sibi fausta in posterum auspicantur. Et quod caput est, ne nimius in primis quis se se cibis ingurgitet, sed potius ei de omnibus libeat saltem aliquantis per delibare, adest per belle conscriptus auroque ornatus ferculorum vinorumque index. Hoc unum sane dolendum, quod gallica voce *menu* dicatur! Qui vero splendor, quae artificii elegantia! Adest in eo depictus blandus homunculus, qui comiter et lepide coenaturos salutat eisque secundum omen a superis portendit.

Habes cochlearia, fuscinulas, cultellos, ex argento confecta, variis sane formis atque ad diversos obsonii usus adsignata. Sunt quoque lucida pocula quae olim artifex venetus confecit; hoc grande, illud parvulum sed oblungum, denique tertium... prout vinum aliud alio pretiosus admiscetur, nostras vel peregrinum.

Omnia sed ita nitentia

*ut cantharus et lanx
Ostendat tibi te!*

Quae novissima verba ex Horatio usurpo.

Fercula vero interim adducuntur; sed haud ita citius me expediam. Est in primis, quo acrius convivarum gula vellicetur, ut iampridem est apud nos in more positum, et quisque cibos sumendos perficiat, salsa menum quodam extis et tomaculis candiduli porci confectum pisciculisque. Sunt deinde, post pulmentum, lumbi, vitulini et bubuli; sunt turdi cum liquamine, perdices, anseres; ac turtures et turunda iecoris. Nec sane deficiunt rhombi, nec nostra maxima tructa in argenteo porrecta catino, sua cum myrica aptissime condita. Quid quod?

Sumus in Apolline! Omnia et singula laudantur, sed nihil potius mollitis placentis. Quum tot rerum congeries undique te sollicite premat, teque ad manducandum urgeat, nihil aliud per aërem audis, nihilque facilius accipis quam sapientissimorum helluonum elogium. Bene! Lepide! Dulcissime! Et omnes, qui de re culinaria recte iudicare prae-sumunt, universa qui obsonia libant et labiis vultuque leniter admirati degustant, effusis animis, atque una voce primas facile amiculo nostro deferunt.

Interea qui hominum rumor seu potius gentium strepitus, quae patinarum et calicum adsidua collisio! Convivarum laetitiam indesinenter vere exprimunt.

Quum ad secundas mensas ventum est, haud laudare desines mala, quae vario genere exquisita atque regione, et modo persica, quae precox et praematura aetas pertulit. Obferuntur pastilli hodie nobis recocti, qui graecam sapiunt suavitatem, quosque Novaria confecit celebris. Haud desunt insuper casei recentes, molles, et caseoli.

Ad ultimum miscentur vina, quae hospes antea in cella animose condidit. Neque misit extera natio, sed e suis ipsa vineis cum studio retulit. Quum «vinis oculique animique natabant», mensarum magister silentium affabre indicit, et oculis innuit qui princeps è more propinabit.

Hic causis agendis in foro clarus, omniumque sententia eo admodum spectat, ut ad supremos reipublicae honores pervehatur, adsurgit, et poculum manu tenens pretiosiore vino refertum, alloqui incipit. Omnes equidem ei facile adsentient, atque identidem ob argutias iocosque, quibus sermo emicat et scatet, clamorose dant plausum. Nunc enim vellicat hospitem et laudibus ad caelum adfert, nunc ipsum coquorum ingenium atque peritiam, qui

obsonii exquisitissimis vel mortuos excitasset, nunc denique celebrat vinorum numerum atque acumen, quibus et vulgus fit saepe eloquens et verbosus.

Dum ipse liberrimo ore hoc illuc discurrit, et sibi verbis universos in silentio advincit, imprudens salinum per mensam effundit. Nostri plebis ignorantiam et superstitionem; et res ipsa, innoxia hominibus prudentioribus, est saepe malo omne penes complures, qui magna sibi infausta subito praesagientes, eo devenit ut in perniciem solemnitas illa laboretur, quae tam laeta et iucunda antea adparebat. Tunc enituit curionis prudentia, qui adsurgens extemplo atque subridens, ex ipsa rei occasione argumentum dicendi depromens, hilari vultu dixit: «Nihil salis iam in nobis esse verebor; quum opportune orator noster ultiro me monitum voluit, nobis adhuc tam salis inesse, ut illud plenis manibus effunderet. Ita nec totum in cibis neque in vinis adsumptum est, sed adhuc tantum erat ut eo mappas conspergeremus. Hoc demum sit iudicii nostri signum, sit moderationis testimonium. Quod tibi faustum siet, hospes noster suavissime, quod vobis, convivae, felix omnibus fortunatum».

Hisce inter omnium iucunditatem festivissime prolatis, post preces pro munere ad Deum praebitas, prandio finem imposuimus.

Unum tamen restabat, ut qui mos est recentiorum, potio daretur ex arabicis fabis confecta, vulgo *caffea*, in eleganti altera aedium parte atque ad id optime disposita. In hoc quoque hospes se lautissimum praebuit. Namque ibi plures paterae aderant auratae miraque artificio confectae, in grandi atque argentea lance collocatae... Tunc in medium proferuntur, pro singulorum voluntate, folia nicotiana sive in volumen sive in fistulam redacta, quaeque

(1) Cfr. num. sup.

primum ad nos regio misit, quam Christophorus Columbus divinitus invexit. Pretiosissima omnium quae insula Cuba producit et maxime adprobantur. Sed quid novi adhuc? Quid? Ad haec veluti cumulus accedit, omnibus admirantibus, et celeberrimus ille liquor, quem olim religiosi quidam carthusiani, (hinc nomen chartreuse), in hominum beatiorum commodum conficiebant, qui quidem divitem poetarum venam aperuit. Namque adfuit et vates, qui ex tempore dialectoque vulgari usus, grandia sonans, facilis, iucundus, aliquando et pugnax, modo hunc, modo illum subtiliter atque ingeniose mordens ac vellicans, omnium hilaritatem excitavit. Sed vates quis est? Divinadum! Est Carolus! Ipse, ipsissimus!... Infinitus prorsus essem, si omnes sermones qui stando, vel deambulando varie serabantur, persequi vellem.

In hisce vero perlegendis, quoties te, acerime vir, exclamantem audivi: quo abiit patrum memoranda frugalitas! Quo atavorum austeritas, quae optime dignam Fabricii paupertatem referebat! Hac ipsi virtute unice freti, magnis exantlatis laboribus, barbarorum servitutem ferociter indignati, in libertatem se se armis vindicarunt. Ne unquam accedat, et omen Deus avertat, ut, quod ipsi fortitudine animi corporisque duritie conquirere studuerunt, nepotes aliquando per ignaviam amittant!

*Hoc opus, hoc studium parvi properemus et
[ampli,
si patriae volumus, si nobis vivere cari!*

Sic finire lubet hasce litteras, quae praeter opinionem longissimae evasere.

Vale.

SUBALPINUS.

Malim indiscretam prudentiam, quam stultitiam loquacem. CIC. De orat., III.

Ingenuarum artium specimina

PRAESEPE DOMINI A MURILLO PICTUM.

Saeculo illo p. n. C. XVII, quando Ibericae civitatis amplitudo ad occasum flectere coepit, ars contra, quae Belgicos Italosque auctores humiliiter eo usque sequuta erat, tamquam gentis archetypus ex improviso efflorescere visa est. Fructum hunc genuit intima eius cum Religione coniunctio, quae ante minaces Lutheri reformationes celsa potensque stetit, alacres omnes promptasque populi vires apud sese perstringens. Ita Iberica ars ad animi secessus et contemplationem exprimenda plerumque se tunc temporis convertit, et quamquam circa substantiam «realistica» permansit, tamen in reddenda natura formam quamdam sibi effinxit sive ex ingenio partam, sive etiam ex colorum pulchritudine, quam et a Venetorum pictorum studio deduxit, et ipsa civitatis indeoles, lucisque caelique splendor aluerunt.

Hispani indigenae huius scholae cunabula fuere; primusque Herrera Maior (MDLXXVI-MDCLVI) pictoriā artem apud suos ab exterorum contagio sanavit, fuitque magister Velasquez illius, qui Hispanorum pictorum maximus evasit; imo in tractandis coloribus inter primores quos historia meminerit recensendus.

Ei immediate succedit Bartholomaeus Steph. Murillo (MDCXVIII-MDCLXXXII), cuius tabulae si interdum, ut in *Mendico*, ferum, quasi dicam, «realismum» sentiunt, quando tamen religiosa argumenta pertractant, stylum illum, de quo superius mentionem fecimus, omnem complectuntur. Natura enim duce, vitam personis reddere penicillo ita valuit Murillus, ut eas reapse aliquo loco nos vidisse affirmare cogamus; attamen eam

vitam arcano quodam sensu praeter naturam circumfusit, qualem profecto dividimus nunquam. Venustus item atque integer, pueros ille amat, rosas, angelos virginesque, in quibus, serenis pariter atque singulari lumine effulgentibus, caeli caerulea reperit laetumque et purum iuuentutis risum.

licitatis non explicandae prodigium! Est *Phoebea face purior Puellus.*
Astris carior omnibus Puellus,
Formis omnibus elegantiisque
Rebusque omnibus, omnibusque quotquot
Sunt usquam, fueruntque eruntque pulchri,
Unus pulchrior omnibus Puellus! »

X.



PRAESEPE DOMINI A MURILLO PICTUM.

Exemplo sit tabula, quam vestris hodie oculis, lectores, subiicimus. Deipara illa, in summa voluptate sua tam modesta, mihi in mentem sponte revocat Bidermani verba: «Videt infantem qui unus omnium hominum formas aboleret; qui radiis suis astrorum extingueret ignes; qui intuentum sensus rapit et amores, ambrosiae luce radiatus et nectare caelesti perfusus, et gratiis omnibus comitatus. Quis ille tandem, per quem animum hiantem lingua suspendis? O fe-

ANNALES

Eventus cruentissimi Europaei belli colligentes, qui per superiorem mensem fuere, trifariam eos de more iam inducto dividemus, uti scilicet pugnatum est ad occidentem versus, ad orientem, atque ad meridiem; ad ultimum de navelibus rebus sermo erit.

Dimicationes inter Germanos et Gallos parum novi attulerunt. Dictabunt Ca-

letum illi iam se properare, sed ab inundationibus fluminum esse retentos; certe non longe progressi sunt. Dixmude tamen oppidum occuparunt, atque Ypres igni tradiderunt; nec aliud quidquam hinc inde gestum est peculiari mentione dignum. Gallica castra prius Belgarum rex, mox autem Anglorum una cum reipublicae Gallorum praeside inviserunt.

Orientales acies Poloniam et Galitiam praecipue complectuntur. Illuc diximus Germanos offensionem ultro intulisse: ex improviso retro pedem referre coeperunt, instantibus post eos Russis, qui loca ab illis capta magna ex parte recuperarunt. Brevi autem apparuit Germanorum receptum non sine arte factum: quum enim ipsis datum est sese cum auxiliis coniungere et numero ita potentes fieri ut Russarum turmarum impetum sustinere possent, ex munitissimis arcibus hostes invaserunt, quorum quinquaginta millia captivos fecerunt. Post hanc ad Kutno victoriam, alteram haud valde dissimilem ad Lowicz reportarunt. Nunc inter Vistulam et Vartham flumina acerrime, quamquam incerto Marte, dimicatur. — In Galicia quum Austrorum exercitus, grandum sociis referentibus, impedire non valuerat quominus Russica agmina Iaroslau, Tarnow, Krasnow, et in Bucovina Czernovitz reciperent, ac Przemysl urbem iterum obsidione cingerent, in id praesertim, neque sine successu, incubuit, ut hostes Cracovia distinerentur, utque a Carpatibus montibus in Hungariam irrumperem prohiberentur. Vehementiorem praeterea reddidit impetum in Serbos, quorum oppida Schabatz, Krupanje, Valjevo et Obrenovac, collesque Kragujevac praeripuit, unde ad Bellogradum sine magna difficultate aditus patebit.

Sed iam ad meridianum belli campum devenimus, de quo nihil restat quam ut Turcarum facinora recolamus. Hi cum Russis proeliantur varia fortuna in Caucasica et Armeniorum regione,

eorumque progressio dicitur ad triginta circiter millia passuum ab orientalibus Suezi freti oris iam nunc pervenisse. Contra huiusmodi minas, ut rem suam in orientali Mediterraneo mari tueretur Anglia, Cypriam insulam, quam ab an. MDCCCLXXVIII tenebat, sibi omnino addixit; neque timet profecto, pariterque Gallia, *Bellum Sanctum* contra Turcarum hostes a « Sultano » indictum...

Denique ad mare quum nos convertamus, Tsing-Tao, Germanorum coloniam, videbimus in ditionem a Iaponiensiis tandem redactam esse; Germanosque pariter et cursoriam navem *Emdem* ab Anglici navi cursoria *Sidney* apud Cocos insulas incensam, perdidisse, et subaqueum lintrem naviculamque (sit venia verbo) torpediniferam in boreali ponto. At contra Germanica Oceani Pacifici classis cursorias Anglorum naves duas submersit, aliamque late pessum dedit; ad Dover autem torpediniferam Anglorum scapham *Niger* Germani destruxerunt, Libaque russicum portum iterum ignivomis tormentis petierunt eumque navigationi inutilem reddidere. Neque satis: Angli loricatam navem *Bulwark* ob fortuitum, ut videtur, incendium cum nautis octingentis ad Sheerness amiserunt, atque ad Abadan ballistarum navigium, a Turcis depresso; qui, sua vice, cybeas tres in Ponto Euxino deletas a Russis habuerunt.

**

In Mexicana republica omnium rerum perturbatio adhuc perdurat. Obregon dux, arrepta occasione novi discriminis inter Carranza supremum militum magistrum et Villa ducem, quadrato agmine in Mexico urbem incedit. Itaque civitatis caput ad Orizaba transfertur. Contra Villa et Carranza tertius alias dux assurgit, Sapata nomine; quum interim Gutierrez a civitatis legatorum coetu praeses deligitur...

Kal. Decembribus MCMXIV.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Facere non potest animus quin adventantibus Nataliciis Domini diebus acri dolore hoc anno, non consueta laetitia, perfundatur. Dum enim pacis verba fortunataeque vitae omina ultro menti succurrunt, suffocantur profecto tot lacrymis totque exsecrationibus, quae ab immanni unde angitur Europa bellum latissime exprompta percipiuntur. O vi duatae domus, quo non mansueti Angelorum lares iam redierunt, sed atra mors extremum surum dominium induxit!... Ipsa **natalicium caudicem** extinxit, quem circum pueri velatis oculis plena, iucunde cantitabant, nitentes ut caudicem ipsum ferro percutientes, quam plurimas possent, scintillas extollerent, quasi caelestia sidera, ad splendorem beatissimae noctis, quando natus est Iesus, augendum. Caudex miseris vobis, o pueri, vix crepitabit ad reficienda membra torpentina frigore et fame! Neque vos, Galli et Belgae, antiquum usum iam a saeculo XIII inductum repentes, eumque ad Redemptorem humani generis proxime venturum aptantes, arborem vestram **nataliciam** luminibus ad gaudium ornabitis, quod salvus hospes adsit. Lumina heu funeribus praefertis! Pinus denique vestra, o Germani, — ab Argentorato enim manasse creditur (1) —, in mediis aedibus erigi solita, fictis in ea taeniis discoloribus ex charta, variis pomis iisque argenteo tegmine involutis,

(1) *Nataliae pini memoria prima historica recolitur in opere: Memorabilia quaedam Argentorati observata, an. MDC in hac eadem urbe edito, ubi tamquam communis illius populi hic usus describitur.*

(2) Iulius Cordara e S. I., sua aetatis (MDCCIV-MDCCCLXXXIV) Latinus scriptor elegantissimus, septemdecim historiarum libros

bellariisque decora, hoc anno nigro velo occultatur. Iidem enim cum hostibus gemitus; luctus idem. Sit, sit etiam una vox plorans apud natum Christum: ut tandem orbi restituatur, quam Ipse nunciavit

*Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est; pax una
[triumphis
Innumeris potior!...*

**

Triste mentis vulnus hodie me opprimit: videtis; quae igitur ad relaxationem quamdam animi et mihi et vobis scribere solebam, calamo quum refugiat, reddere non valeo. Sinatis igitur ut aceratum aliud spectaculum quod ipsis hisce diebus contigit an. MDCXXXII, legendum vobis praebeam; non tamen a me descriptum, sed a Cordara illo, de quo in superiore commentarii nostri fasciculo facta mentio est (2). Paginam, equidem perbelle exaratam, mihi concredidit romanus socius noster Hermenius Iacobelli, cui sint debitae gratiae, quod desiderio in eodem fasciculo expresso primus citoque satisficerit. Est de **Vesevi montis incendio**.

« Nocte ea, quae diem praecedebat XVII Cal. Ianuarias, terrae aliqui motus non vehementes quidem, verumtamen crebri Neapolim totamque late Campaniam agitare cooperunt. Albente caelo, remugire auditus mons immani fragore, qualiter edere maiores bombardae (3) solent. Atque ubi diluxit, in summo iugo picea cineris ac fumi nubes apparuit, flammis

exaravit, ac sexdecim item spissos commentarios de rebus suis, aliisque suorum temporum. His veluti appendicem attexuit professionem Summi Pontificis Pii VI, quocum amice admodum ac familiariter agere consuevit, ad Aulam Vindobonensem.

(3) Vox haec, utpote « tormentum aegeum a bombo dictum » relata invenitur

subinde intermicantibus; quae cum cresceret sensim, quippe materiam assidue eructante tartareo camino, brevi in insanam altitudinem elata, immensum caeli spatium nigra caligine obduxit. Ea mox nube, coorto vento, dissipata, Neapoli et in proxima circum regione, tanta cineris vis tam spissso fusoque imbre depluit, ut adulta die lucem omnem extinerit. Quamquam non proximis tantum locis, sed etiam remotioribus decidit ea cineris pluvia, et, si vera narrant, in Illyricum usque ferente vento pervenit, atque adeo in Aegaeum mare, quo mari discurrentes aliquot naves exterruisse dicitur pluviae genus tam sordidum et ignotum. Sed quidquid id fuerit, non nisi initium malorum ac veluti praeludium cinis fuit. Die sequenti, circa meridiem, apparuit inter atros cineris fumique vortices torrens igneus e liquato bitumine ac sulphure, isque e summo vertice cum horribili stridore prorumpens, primum sese per montis dorsum uno velut alveo devolvit; ut vero prope radices fuit, in plures scissus est rivos (septem fuisse perhibent), atque hinc pluribus diversisque viis vagari late per campos coepit, quaecumque habuit obvia proruens et incendens, donec omnia una eademque strage consumpsit. Praeter minores vicos et oppida circa Vesevum sita, funditus periere Herculaneum et Pompeii, duo oppida pervetusta ob frequentiam incolarum iustis ferme urbibus paria, in quibus nihil postridie repertum, praeter solum in quo fuerant, tetro cinere ac praefalco constratum (1). Arborum, sege-

tum aedificiorum brutorumque animantium nihil reliqui fecit vorax flamma, nec paucos mortalium aut una cum suis tectis excusit, aut in ipsa fuga interceptos peremit. Quosdam etiam ex his sub dio morantes incautius, praegrandes pumicuum saxorumque moles, quas vulcanus ardens identidem emittebat atque instar pyroli bellici (2) longissime propellbat, misere oppresserunt. Secuta post haec foeda aquae inundatio ab ipso, quod vix credas, Vesevo; qui mons dum ex parte mari obversa flammis immittibus saeviebat, ex opposita, quae Nola urbem despectat, tantam aquarum mollem in patentes campos effudit, ut plures repente extiterint amnes, maioribus fluvii et copia undarum atque impetu haud multum impares. Alicubi ad quindecim palmorum altitudinem subitarii isti amnes excreverunt, et ubique summo decurrentes impetu, stragem pecori, aedificiis ac villis ruinam, agris excidium vastitatemque attulerunt, memorabili clade luctuosaque, quae villicorum permultos ad inopiam extremam ac mendicitatem adegit».

* * *

Aenigmata.

I.

(*Permutatio vocalium*).

E contra vivos vigilat saevissima in armis;
I gelido terram velamine contegit albo.

II.

Aptum per finem mihi totum defluit aere;
Defluit et candens dulceque principium.

(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] *Cu-cu-mae*: 2] *An-as*).

IOSFOR.

an. LXXIX a Plinio descriptam ipsis in locis surrexerant.

(2) Vocabulum hoc, quod sciam, Cordara primus effinxit, a Graeco fonte (*πυρ*, ignis, et *λημός*, quo verbo quodvis corpus cylindratae formae distinguebatur) deductum. — Ios.

in *Amalthea onomastica* Iosephi Laurentii, Venetiis edita an. MDCLXXXIII. Atque prius tamquam in usu, licet barbarum, adnotavit Stephanus Doletus in suis *Commentariis Linguae Latinae*, Lugduni apud Gryphium edit. an. MDXXXVIII (Vol. I. p. 473). — Ios.
(1) Scilicet nova oppida, quae post ruinam

ROMA SACRA

Acta Benedicti XV P. M.

Die elapsi mensis Novemboris prima, vulgatae sunt Benedicti PP. XV litterae encyclicaes ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliasque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes. Quae quidem exordium ducunt a pastorali illa sollicitudine, qua, ut primum Beatissimo Patri lievit ex arce Apostolicae dignitatis rerum humanarum cursum uno quasi obtutu contemplari, quum lacrimabilis obversaretur ante oculos civilis societatis conditio, acri dolore Is affectus, non dubitavit ad pacem tum reges tum populos horrari, eamque cum universo clero supplex invocare. Atqui tristissima adhuc « dominatur imago belli; nec fere nunc est aliud quod hominum cogitationes occupet. Maxima sunt praestantissimaeque opulentia gentes quae dicunt: quamobrem quid mirum si horrificis bene instructae praesidiis, quae novissime ars militaris invenit, confidere se mutuo exquisita quadam immanitate contendant? Nec ruinarum igitur nec caedis modus; quotidie novo redundant cruento terra, ac sauciis complectur examinisque corporibus. Num, quos ita videris alteros alteris infestos, eos dixeris ab uno omnes prognatos; num eiusdem naturae, eiusdem societatis humanae participes? Num fratres agnoveris, quorum unus est Pater in caelis? Dum autem infinitis utriusque copiis furiose decernitur, interea doloribus et miseriis, quae bellis, tristis cohors, comitari solent, civitates, domus, singuli premuntur: crescit immensus in dies viduarum orborumque numerus; languent, interceptis itineribus, commercia; vacant agri; silent artes; in angustis locupletes, in squalore inopes, in luctu sunt omnes». O utinam — Pater implorat — « utinam Dei misericordis beneficio fiat, ut, quem Angeli in ortu divini hominum Redemptoris faustum cecinere nuntium, idem ineuntibus Nobis vicarium Ipsi munus, celeriter insonet: *In terra pax hominibus bonae voluntatis!* Audiant nos ii, rogamus, quorum in manibus fortuna civitatis sita est. Aliae profecto adsunt viae, rationes aliae, quibus, si qua sunt violata iura, sanciri possint. Has, positis interim armis, bona experiantur fide animisque volentibus! Ipsorum Nos universarumque gentium amore impulsi, nulla Nostra causa, sic loquimur. Ne sinant igitur hanc amici et patris vocem in irritum cadere».

At vero « alterum est, in ipsis medullis humanae societatis inhaerens, furiale malum; idque omnibus, quicumque sapiunt, est formidini, utpote quod, quum alia iam attulerit et allaturum sit detrimenta civitibus, tum huius luctuosissimi bellii semen iure habeatur. Etenim ex quo christiana sapientiae praecepta atque instituta observari desita sunt in disciplina rei publicae, quum stabilitatem tranquillitatemque ordinis illa ipsa continerent, necessario nutare funditus coeperunt civitates, ac talis et mentium conversio, et morum demutatio consecuta est, ut, nisi Deus mature adiuvet, impendere iam humanae consortios videatur exitium». Haec itaque cernit Supremus Pastor: abesse ab hominum cum hominibus coniunctione benevolentiam mutuam; despiciuntur haberi eorum qui praesunt auctoritatem; ordines cum ordinibus civium iniurose contendere; fluxa et caduca ita sitient appeti bona, quasi non alia sint, eoque multo potiora, homini proposita ad comparandum. His quidem quatuor capitibus totidem causas continerit Christianae Reipublicae gubernator amplissimus iure meritoque arbitratur cur societas humani generis adeo graviter perturbetur. Danda igitur communiter est opera ut pellantur e medio, christianis nimurum principiis revocandis, si vere consilium est pacare communes res recteque componere.

Itaque imprimis necesse est « summo studio eniti, ut Iesu Christi caritas rursus in hominibus dominetur»; quod imo propositum omnium gentium Parentis amantissimus se habiturum edicit veluti proprium sui Pontificatus opus. Notum est equidem nunquam fortasse fraternitatis humanae tantam fuisse, quantam hodie, praedicationem; quin etiam non dubitari, Evangelii voce neglecta operaque Christi et Ecclesiae posthabita, hoc fraternitatis studium efferrit tamquam unum e maximis muniberis, quae huius aetatis humanitas peperit. Re tamen vera, nunquam minus fraterne actum est inter homines, quam nunc. « Crudelissima ob dissimilitudines generis sunt odia; gentem a gente potius simulantes, quam regiones separant; eadem in civitate, eadem intra moenia flagrant mutua invidia ordines civium: inter privatos autem, omnia amore sui, tamquam suprema lege, diriguntur». Atqui « praeclera certe valdeque commendanda sunt illa, quibus haec aetas abundat beneficentiae causa institutis; at enim, si quid ad veram Dei et

aliorum caritatem in animis fovendam conferant, tum demum solidae utilitatis sunt; quod si nihil eo conferant, nulla sunt; nam *qui non diligit, manet in morte* (IOAN. III, 23).

At vero altera communis perturbationis causa in eo consistit, quod iam non sancta vulgo sit eorum qui cum potestate praesunt auctoritas, non iam a Deo, rerum conditore et dominatore, sed a libera hominum voluntate deducta. Hinc legum contemptio, hinc motus multitudinum, hinc petulantia reprehendendi quidquid iussum sit; hinc sexcentae viae ad disciplinae nervos elidendos; hinc immania illorum facinora, qui, quum se nulla teneri lege profiteantur, nec fortunas hominum ventur, nec vitam perdere. Revocanda igitur doctrina illa, quam nulla hominum placita mutare possunt, non esse potestatem nisi a Deo; quae autem sunt a Deo esse ordinata (ROM., XIII, 1). Praesertim «meminerit hoc Principes rectoresque populorum, ac videant num prudens ac salutare consilium cum potestati publicae tum civitatibus sit a sancta Iesu Christi religione discedere, a qua tantum ipsa potestas habet roboris et firmamentum. Etiam atque etiam considerent, num doctrinam Evangelii et Ecclesiae velle a disciplina civitatis, a publica iuventutis institutione exclusam, civilis sapientiae sit. Nimis experiendo cognitum est, ibi hominum iacere auctoritatem, ubi exsulet religio... Relinquitur sane, quod assolet, ut ad turbidos motus comprimendos vis adhibeat: sed quo tandem fructu? Vi corpora quidem, non animi comprimuntur».

Sublata sic aut debilitata dupli illa coniunctione, unde efficitur ut omne societatis corpus cohaereat, id est vel membrorum cum membris ob caritatem mutuam, vel eorumdem cum capite ob auctoritatis obsequium, quisnam iure miretur hanc hominum societatem dispergitam in duas tamquam acies videri, quae inter se acriter et assidue diliguntur? «Stant contra eos quibus aliquam bonorum copiam aut fortuna tribuit, aut peperit industria, proletarii et opifices, propterea flagrantes malevolentia; quod quum eamdem naturam participant, non tam in eadem ac ipsi conditione versentur. Scilicet, ut semel infatuati sunt concitatorum fallaciis, quorum ad nutum solent se totos fingere, quis eis persuadeat, non ex eo quod homines sunt pares natura, sequi ut parem omnes obtinere debeant in communitate locum, sed eam esse singulorum conditionem, quam sibi quisque suis moribus, nisi res obsterint, comparavit?... Quae vero quantaque hoc invidiosum certamen ordinum tum singulis, tum communitati civium gignat incommoda, dicere nil attinet. Videmus omnes deploramusque crebras cessationes ab opere, quibus civilis publicaeque vitae cursus in ministeriis apprime necessarius repente inhi-

beri solet: item minaces turbas et tumultus, in quibus non raro accidit, ut armis res geratur et humanus effluat crux». Itaque et in hac re potissimum omni argumentorum ope, «quaer vel Evangelium, vel ipsa hominis natura, vel publicae privataeque disciplinae ratio suppeditat, studeamus hortari omnes, ut ex divina caritatis lege fraternalis animis interesse diligent. Cuius quidem amoris non ea certe vis est ut conditionum, ideoque ordinum distinctionem amoveat;... sed tamen efficiet, ut qui loco superiores sunt, demittant se quodammodo ad inferiores; et non solum iuste adversus eos, quod par est; sed benigne, comiter, patienter sese gerant: hi autem et illorum laetentur prosperitate et confidant auxilio; sic prorsus uti ex familiae eiusdem filii minor natu maioris patrocinio praesidioque nititur». Revocentur sapientissima Leonis PP. XIIII argumenta, quibus *Socialistarum* aliorumque in hoc genere errores manifesto convincebantur; qui tenuiores autem cum copiosis depugnant, quasi alienas hi bonorum partes occupant, persuasum sibi habeant, non contra iustitiam caritatemque tantum, verum etiam contra rationem id eos facere, praesertim quum et ipsi possint honesta laborum contentione meliorem sibi fortunam querere, si velint.

Verum haec mala radicem quae evelli debet altiore repetunt, *cupiditatem*. Quandoquidem, ut nostra hac tempestate, «infusus est animis perniciossimum error, non sperandum esse homini sempiternum aevum in quo beatus sit; hic, hic licere ei esse beato, divitiis, honoribus, voluptatibus huius vitae fruendis; nemo mirabitur hos homines natura factos ad beatitudinem, ea vi qua ad eorum adiectionem bonorum rapiuntur, eadem quidquid sibi moram in hac re aut impedimentum fecerit, repellere. Quoniam vero haec bona non aequalitatem dispergita sunt in singulis, et quia socialis auctoritatis est prohibere, ne singulorum libertas fines excedat alienumque occupet, idcirco et odio habetur auctoritas, et miserorum in fortunatos ardet invidia, et inter ordines civium mutua contentionem certatur, nitentibus quidem aliis attingere id quovis pacto et eripere quo carent, aliis autem retinere quod habent, atque etiam augere. Hoc ipsum Christus Dominus quum prospiceret futurum, in divinissimo illo sermone, quem in monte habuit, terrestres hominis *beatitudines* quae essent, data opera explicavit: in quo christiana philosophiae quodammodo fundamenta posuisse dicendum est». Cuius divinae philosophiae illa intima et recondita ratio est, «quod, quae mortalis vitae appellantur bona, speciem quidem boni habent, vim non habent: ideoque non sunt ea, quibus fruens, homo beate possit vivere. Deo enim auctore,

tantum abest ut opes, gloria, voluptas, beatitudinem afferant homini, ut si vere hac potiri velit. debeat iis omnibus, Dei ipsius causa, carere». Verum haec tanti momenti doctrina Fidei apud plurimos negligitur, apud multos penitus oblitterata videtur: ad eam igitur renovetur omnium animus: non alio pacto homines et hominum societas conquiescent.

Iamvero ab hominum communitate ad proprias Ecclesiae res considerandas Sacerdos Christianorum maximus cogitationem convertit. «Est profecto — scribit — cur animus Noster, tam magna temporum calamitate percussus, aliqua saltem ex parte reficiatur. Nam, praeter argumenta, quae se dant apertissima, divinae illius virtutis ac firmitatis qua pollet Ecclesia, non parum consolationis ipsa Nobis offerunt, quae Decessor Noster Pius X, quum Sedem Apostolicam sanctissimae vitae exemplis illustrasset, praeclara Nobis reliquit sue actusae providentiae munera. Videmus enim eius opera inflammatum universe in sacro ordine studium religionis; excitatam christiani populi pietatem; promotam in consociationibus catholicorum actionem ac disciplinam; qua constitutas, qua numero auctas Episcoporum sedes; institutioni adolescentis Clericum pro severitate canonum, tum, quoad opus est, pro natura temporum consultum; a magisteriis sacrarum disciplinarum depulsa temeraria novitatis pericula; maiestati sacrorum artem musicam digne servire iussam auctumque liturgiae decus novis, praeconum Evangelii missionibus christianum late nomen propagatum. — Magna sunt ista quidem Decessoris in Ecclesiam promerita, quorum memoriam grate posteritas conservabit. Quoniam tamen ager *patris familias* semper, Deo permittente, *inimici hominis* malignitati patet, nunquam est futurum, ut ibi elaborandum non sit, ne *zizania luxuriantia* bonis frugibus officiant. Itaque, interpretantes dictum quoque Nobis, quod prophetae Deus dixerat: *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut eellas et destruas... et aedifices et plantes* (IEREM., I, 10), quaecumque erunt mala prohibenda, bona provehenda, quantum erit in Nobis, summo usque studio curabimus, quoad Pastorum Principi rationem a Nobis administrati muneras placeat repete».

Principio igitur, quoniam in omni hominum societate, quavis de causa coiverint, ad successum communis causae maxime interest socios in idem summa conspiratione conniti, omnino faciendum est ut dissensiones atque discordiae inter catholicos, quae cumque sunt, desinant esse; novae ne posthac oriantur; sed ii iam unum idemque omnes et sentiant et agant. Itaque «ubi potestas legitima quid certa praeceperit, nemini fas

esto negligere praeceptum, propterea quia non probet sibi; sed quod cuique videatur, id quisque subiiciat eius auctoritati, cui subest, eique, ex officii conscientia, pareat.

— Item nemo privatus, vel libris diariisve vulgandis vel sermonibus publice habendis, se in Ecclesia pro magistro gerat. Norunt omnes cui sit a Deo magisterium Ecclesiae datum: huic igitur integrum ius esto pro arbitratu loqui, quum voluerit; ceterorum officium est, loquenti religiose obsequi dictaque audientes esse. In rebus autem, de quibus, salva fide ac disciplina (quum Apostolicae Sedis iudicium non intercesserit), in utramque partem disputari potest, dicere quid sentiat idque defendere, sane nemini non licet. Sed ab his disputationibus omnis intemperantia sermonis absit, quae graves afferre potest offensiones caritati; suam quisque tueat libere quidem, sed modeste sententiam; nec sibi putet fas esse, qui contraria teneant, eos, hac ipsa tantum causa, vel suspectae fidei arguere vel non bonae disciplinae. Abstineant se etiam (catholicoi) iis appellacionibus, quae recens usurpari coepit ad catholicos a catholicis distinguendos: easque non modo devitent uti *profanas vocum novitates*, quae nec veritati congruent nec aequitati; sed etiam quia inde magna inter catholicos perturbatio sequitur, magnaque confusio. Vis et natura catholicae fidei est eiusmodi, ut nihil ei possit addi, nihil demi: aut omnis tenetur, aut omnis abiicitur. *Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque creditur, salvus esse non poterit* (*Symb. Athanas.*). Non igitur opus est appositis ad professionem catholicam significandam; satis habeat unusquisque ita profiteri: — Christianus mihi nomen, *catholicus cognomen* — tantum studeat se re vera eum esse, qui nominatur».

Ceterum, ab iis qui se ad communem rei catholicae utilitatem contulerunt, longe aliud nunc Ecclesia postulat; postulat ut summo opere contendat integrum conservare fidem et incolum ab omni erroris afflatu, sequentes eum maxime, quem Christus constituit custodem et interpretem veritatis. Hinc Pastori vigilissimo aditus ad errores *Modernismi* iterum ac sollemniter condemnatos; quin imo praecipit, ut non solum ab huiusmodi omnium hereseon collectu catholicli homines abhorreant, sed ab ingenio etiam, seu spiritu, ut aiunt, *Modernistarum*: «quo spiritu qui agitur, is quicquid sapiat vetustatem fastidiose respuit, avide autem ubi vis nova conquirit in ratione loquendi de rebus divinis, in celebritate divini cultus, in catholicis institutis, in privata ipsa exercitatione pietatis». Ergo sancta habeatur ea maiorum lex: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*; quae lex tametsi inviolate ser-

vanda est in rebus Fidei, tamen ad eius normam dirigenda sunt etiam, quae mutationem pati possunt; quamquam in his ea quoque regula plerumque valet: *Non nova sed noviter*. Quoniam autem ad profitendam aperte fidem catholicam, atque ad vivendum congruerter fidei, plurimum homines fratres hortamentis mutuisque exemplis inflammari solent, alias atque alias excitari con-sociationes catholicorum, Pontifex gaudere se profitetur easque patrocinio studioque se prosequutur ut florent: florebunt tamen, modo praescriptionibus quas Apostolica Sedes iam dedit vel datura iis est constanter fideliter obtemperant, nunquam sinentes sibi excidere quod Sapientia clamat: *Vir obediens loquetur victoriam* (*Prov.*, xxii, 28).

Ad haec omnia vero, ut is qui exspectatur exitus procedat, necessaria est prudens sedulaque illorum opera, quos Christus *operarios in messem suam misit*, id est clericorum. Summus igitur totius Ecclesiae Pastor etiam hic rogat Episcopos ut et in iis qui de sacro ordine iam sunt consenteantem sanctimoniam foveant, et qui sunt alumni sacerorum, eos optimis institutis praecoptisque ad munus tam sanctum rite conforment. Quotquot autem sunt sacerdotes, omnes severe admonet quam plane opus sit, cum ad propriam ipsorum salutem, tum ad sacri ministerii fructum, eos quidem suo quemque Episcopo coniunctissimos esse, atque obsequientissimos.

Quum gravibus hisce verbis Summus Christianae Religionis. Interpres ad suarum litterarum prope exitum pervenisset, ille redit, unde initium scribendi fecit, atque calamitosissimi belli ex quo Europa tetricamente vexatur, finem tum societati hominum, tum Ecclesiae omnibus precibus implorat; hominum quidem societati, ut, reconciliata quum fuerit pax, in omni civili et humano cultu vere progrediatur; Ecclesiae autem Iesu Christi, ut, nullis iam impedimentis retardata, perget in quavis ora ac parte terrarum opem et salutem hominibus afferre. «Ecclesia sane — pergit — iam multo diutius non ea, qua opus habet, plena libertate fruitur; scilicet ex quo Caput eius Pontifex Romanus illo coepit carere praesidio, quod, divinae providentiae nutu, labentibus saeculis nactus erat ad eamdem tuendam libertatem. Hoc autem sublato praesidio, non levis catholicorum turbatio, quod necesse erat fieri, secuta est: quicunque enim Romani Pontificis se filios profitentur, omnes, et qui prope sunt et qui procul, iure optimo exigunt ut nequeat dubitari, quin communis ipsorum Parens in administratione Apostolici muneris vere sit et prorsus appareat ab omni humana potestate liber. Itaque magno pere exstantes ut pacem quamprimum

gentes inter se componant, exoptamus etiam ut Ecclesiae Caput in hac desinat absone conditione versari, quae ipsi tranquillitati populorum, non uno nomine, vehementer nocet. Hac igitur super re, quas Decessores Nostri pluries expostulationes fecerunt, non quidem humanis rationibus, sed officii sanctitate adducti, ut videlicet iura ac dignitatem Sedis Apostolicae defendenter, easdem Nos iisdem de causis hic renovamus».

Litterae sic concluduntur: «Restat, Venerabiles Fratres, ut, quoniam Principum eorumque omnium, qui possunt vel atrocitati vel incommoditatibus rerum, quas memoravimus, finem imponere, in manu Dei sunt voluntates, ad Deum suppliciter attollamus vocem, atque, universi generis humani nomine, clamemus: Da pacem, Domine, in diebus nostris. — Qui de se dixit: *Ego Dominus... faciens pacem*, Ipse tempestatum fluctus, quibus et civilis et religiosa societas iactatur, nostris conversus precibus ad benignitatem, sedare celeriter velit. Adsit nobis propria Virgo beatissima, quae ipsum genuit *Principem pacis*; ac Nostrae humilitatem Personae, Pontificale ministerium Nostrum, Ecclesiam atque adeo omnium nimis hominum divino Filii sui sanguine redemptas, in maternam suam fidem tutamque recipiat».

Sequitur Apostolica Benedictio.

Libri dono accepti.

P. FRANCIS FINN S. I. *Harry Dee*. Racconto Americano per i giovinetti. — Romae edid. Desclée et Soc., 1915. — (Ven. lib. 2).

The Clongownian. Centenary number - 1914. *Unità di lingua e pronunzia romana nella lingua latina*. Appunti del Can. GIUSEPPE FRAU. — Arboreae (Italice Oristano) ex off. Carta et Pagani, 1914. — (Ven. lib. 0,75).

MARINI Mons. NICCOLÒ. Impressioni e ricordi di viaggi. Oriente. — Romae edid. M. Bretschneider, 1914. — (Ven. lib. 4).

MANNUCI Prof. UBALDO. *Andreae de Sanctacruce dialogus de Ecclesiae primatu in Ludovicum Pontanum*. (Excerpt. ex Romano Comm. Bessarione, ann. XVIII, fasc. 2-3, 1914).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (Via Umbria, 27).

INDEX RERUM VOL. I.

(Ann. I. — Fasc. I-VIII).

Alloquia sociis et lectoribus.

Pag. 2, 21, 102, 121, 141

Annales.

Pag. 15, 35, 54, 74, 95, 114, 133, 151

Apologetica.

Alma Roma. (Iachim Antonelli Costaggini). Pag. 3

Spes afflgentes ex recentibus Europae factis. (I. Antonelli Costaggini). Pag. 41

Archaeologicae res.

Qua ratione per Christiana monumenta Christi resurrectio exhibeat. (I. Bonavenia). Pag. 12

Christus volumen porrigens Apostolo Petro. (I. Bonavenia). Pag. 28

De Cathedra Episcoporum. (I. Bonavenia). Pag. 104

Ars.

De artis sacrae excellentia et ratione. (L. Janssens). Pag. 24

De Pontificio Seminario Romano eiusque novis aedibus ad Lateranum. (I. Antonelli Costaggini). Pag. 29

Ingenuarum artium specimen. (X): Raphaëlis Sanctii pictura muralis Attilam regem effingens a Summo Pontifice repulsum. Pag. 10
«Parcae» a Bonarrotio effectae. Pag. 50

Caesaris Fracassini tabula S. Laurentium effingens diaconatus ordine auctum. Pag. 70
Villicus Ludimagister. Pag. 131

Praesepe Domini a Murillo pietum. Pag. 150

Astronomicae notae.

Parisiensis nuperrimae procellae causa — Solares maculae. — Novine planetae ultra Neptunum ? (Spectator). Pag. 48

Benedictus PP. XV.

Habemus Pontificem! (Alma Roma). Pag. 83
Benedictus PP. XV «Almae Romae» supremum patrocinium suscepit. (Josephus Fornari). Pag. 101

(Vide etiam Carmina, Roma Sacra).

Carmina.

Lux benigna. (D. Macrae) Pag. 7

Vitus (F. Sofia Alessio). Pag. 19, 40, 79, 99
Pii X Pont. Max. prope octogenarii agendi vis. (F. X. Reuss). Pag. 27

Ad «Almam Romam». (M. Galdi). Pag. 37
Obturaculum suberum (T. Vignas). Pag. 49

Salve, Regina. (I. Bonavenia). Pag. 68
In funere Pii X Pont. Max. (F. X. Reuss). Pag. 88

In bellicosa Europae conflagratione, (C. Mambratti). Pag. 90

Benedicto XV P. M. recens electo. (F. X. Reuss). Pag. 103

Collegium S. Bernardi in Republica Chilena. (F. X. Reuss). Pag. 128

Christus Rex Pacificus. (F. X. Reuss). Pag. 144

Communia vitae.

Ars tutandae salutis in cubiculis. (Subalpinus) Pag. 13

De corporis exercitationibus. (Doctor Haver). Pag. 92

De somno et vigilia. (Doctor Haver). Pag. 113
Prandii descriptio. (Subalpinus). Pag. 129, 148

Fridianus, sive de incondito adulescente. (I. F.). Pag. 32, 53, 73, 119, 139

Historica.

In honorem Rogerii Baconis. (A. R.). Pag. 61
Commemoratio Rogerii Baconis Oxonii habita (G. Cleary). Pag. 62

In centenariis sollemnibus Rogerii Baconis oratio (A. D. Godley). Pag. 64

De conflictu Slavonios inter atque Teutones historicae animadversiones. (Lucilius). Pag. 122

De Bartolo a Saxoferrato Iurisconsultorum in saeculo XIV facile principe. (A. Martini). Pag. 144

Libri dono accepti.

Pag. 38, 58, 136, 158

Librorum recensio.

Pag. 58, 136

Litterae et Philologia.

- De nimio studio allegorice verba detorquendi. (M. Galdi). Pag. 5
 De latinae linguae pronuntiatione adnotiunculae. (I. Tasset). Pag. 6
 Ne adulescentes a latini sermonis cultu derreantur. (A. Aurelij). Pag. 22, 65, 121
 De certamine poetico Hoeufftiano. Pag. 27
 Martialis rusticans. (M. Galdi). Pag. 42
 De fonte Divinae Comoediae Dantis Ali-gherii. (A. Martini). Pag. 45
 Varia Latinitas. (M. Galdi). Pag. 91, 129
 Q. Horatii Flacci epistola ad Augustum. — Brevis scholastica commentatio ad discipulos. (I. B. Francesia). Pag. 107, 124, 147

Nostrae res.

- Quaesitis ad referendum responsiones. Pag. 34, 93, 132

Oeconomicae et Sociales Quaestiones.

- De conflictibus operarios inter et heros. (I. I. Berthier). Pag. 8
 De quodam saeculi vitio, quod homines maxime torquet. (I. B. Francesia). Pag. 52, 71
 De miserrima nonnullorum hominum conditio in agro Romano. (A. Aurelij). Pag. 110
 De arbitratu inter nationes constituendo. (I. I. Berthier). Pag. 142

Philosophia ac Theologia.

- De Assumptione B. V. Mariae in caelum (R. Fei). Pag. 67
 (Vide etiam Pius PP. X).

Pius PP. X.

- Pii PP. X litterae ad «Almae Romae» Moderatorem. Pag. 1
 Pontifex mortuus est! (*Alma Roma*). Pag. 82
 Pius PP. X paucis diebus ante mortem «Almae Romae» iterum benedicit. (I. For-nari). Pag. 84
 Pii PP. X Pont. Max. in latinum sermonem cura et sollicitudo (A. Aurelij). Pag. 85
 Pius X latinae poeticae cultor. (F. X. Reuss). Pag. 87
 Quam egregie de philosophica ac theologica doctrina meritus sit Pius PP. X. (I. I. Berthier). Pag. 88, 105
 (Vide etiam *Carmina, Roma sacra*).

Roma Sacra.

- Acta Pii X P. M. Pag. 17, 39, 59, 75
 Pii X P. M. obitus. Pag. 96
 Novi Pontificis electio. Pag. 98
 Acta Benedicti XV P. M. Pag. 118, 155
 Ioannes Baptista Card. Lugari. Pag. 77
 Sacrae Congregationes:
 S. Congregatio Concilii. — De missa pro populo et servitio chorali. Pag. 17
 S. Congregatio Consistorialis. — De electione Vicarii Generalis dioecesum Americae Septentrionalis in consultorem dioecesanum. — De Sacerdotibus in certas quasdam regiones demigrantibus. Pag. 18
 S. Congregatio Indicis. — Libri prohibiti. Pag. 18
 S. Congregatio S. Officii. (Sectio de Indulgencis). Pag. 78
 S. Congregatio de Religiosis. — De novis sodalitatibus earumque constitutionibus adprobandis. Pag. 18
 S. Congregatio Rituum. — De Baptismo domi conlato. — De Festo dedicationis Ecclesiae. — De Festo B. Mariae V., Magnae Hungarorum Dominae. Pag. 18
 De diebus ad nonnulla Festa recolenda constitutis. — De Sacra Synaxi sabbato sancto fidelibus distribuenda. Pag. 60
 S. Congregatio Studiorum. — Theses quaedam in doctrina S. Thomae Aquinatis conten-tae, a philosophiae magistris post Motu proprio Pii X fel. re. «Doctoris Angelici» edito d. XXIX mens. Iulii MCMXIV propositae, et a S. Congregatione Studio-rum approbatae. Pag. 137

Vacui temporis hora.

- Praeloquium. Pag. 16
 Quaesita ad referendum. Pag. 16, 56
 Coquinaria. Pag. 16, 38, 56, 76, 117
 Iocosa. Pag. 17, 38, 57, 77, 117, 136
 Aenigmata. Pag. 17, 38, 57, 77, 117, 136, 154
 De «molli manu». Pag. 37
 Singulares nundinae. Pag. 76
 Arabicae potionis taberna. Pag. 116
 Recentissimum inventum. Pag. 135
 Signum cursus publici. Pag. 135
 Natalicus caudex; arbor natalicia. Pag. 153
 Vesevi montis incendium. Pag. 153

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2. 40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.* ~ ~

Sociis et Lectoribus**Commentarii nostri humanissimis.**

Quum, mense Maio superioris anni MCMXIV, commentarium hunc per orbem universum diffundebamus proposita nostra evulgandae provehendaeque latinitatis edicentes atque tum adiuncta temporum, tum perficiendae rei ipsius difficultates considerantes, periculosae plenum opus aleae nos suscepisse candide profitebamur. Atqui longe aberamus ut cogitaremus, vix post menses duos, tantam publicarum rerum eversionem futuram esse, quantam humana mens concipere nunquam posset, immanisque belli tumultu ac ruina non unas artes, sed ipsa commercia omnis generis ita illico conticescere debuisse, ut ne liceret quidem homines cum hominibus late passim communicare.

Sed tamen, quum in lacrimabili ipso hoc statu tantum eorum, qui societatem nostram sunt interim amplexati, favorem in dies experiamur, ut ex ipsis castris in quibus captivi detinentur opus nostrum prosequantur; quum sensim socios alios accedere vel a longissimis Iaponiae, Indiarum Australibusque civitatibus videamus, nonne minime demittendi, sed erigendi animi sumendum est argumentum, fore ut, hodiernis tandem superatis difficultatibus, quando demum, Dei miserentis beneficio, tranquilla pax redierit, ad *Almam* hanc *Romam*, quae nomen amantissimae Matris retinens, eius vocem «humanitatis in caritate» recolare ac diffundere satagit, frequentissimi accedant quotquot odiorum, caedium invidaeque pertaesи, sancta, iusta, civilia in una mentium animorumque communione, atque inde in unitate sermonis, expetant?

Hac spe freti maiore virtute in incoepturn nostrum hoc anno intendemus, neque laborem ullum omittemus ad finem nobilissimum consequendum perenneque cultarum gentium vinculum astringendum arctius.

At vero huiusmodi curam et contentionem nisi collatis viribus perficere non licet: legio itaque sociorum nostrorum novis militibus in singulos dies augenda est. Quid, si quisque Patronum aut Socium *unum* aggregabit? Numerus, id est robur, duplicabitur; eritque in tenui labor, at tenuis non gloria...